



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 95. Titulus XV. De ornamentis, & Vasis Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Innocentium Pontificalia, aut Sacerdotalia indumenta, aut ornamenta præferant, aut regium, vel quoquo modo a sua vocatione alienum habitum: ne inde risus, aut offensionis causa spectantibus præbeatur.

§. XCV.

Titulus XV. De ornamentis & Vasis Ecclesiæ.

Differitur in titulo decimo quinto de ornamentis, vasisque Ecclesiæ, ubi quinque proponuntur Canones I. *Vestes sacræ, & ornamenta bellorum barbarie direpta, aut vetustate consumpta restituantur, & sufficiantur in locum amissorum, excitent autem populum prædicatores verbi Dei ad aliquid in ejusmodi sacram Supellectilem erogandum, tanquam pium, & Deo gratum opus: quod etiam de Sacris vasis observetur.*

Labbe. pag. 1083.

Canon II. *Monet Episcopos capitula, Præpositos, & omnes Ecclesiasticas personas hæc Synodus, ut suæ conditionis memores Ecclesias suas ornent, quantum eis ecclesiasticæ post pauperum curam facultates, & cetera charitatis officia supeditabunt.*

Canon III. *Canonicorum congregationes hortatur, ut more antiquo multis adhuc in Ecclesiis observato, unusquisque Canonicus nuper in Ecclesiam admissus, pro jucundo suo adventu grati animi testi-*

Hist. Eccles. Tom. L.

M. monium

Sæcul. XVI. A.C. 1584. monium erga Deum, & Ecclesiam suam largitione cappæ, seu casulæ, exhibeat, cujus pretium capitula Ecclesiarum designabunt & ad illud persolvendum pro statuta Ecclesiarum compellatur.

Canon IV. Ornamenta illa Ecclesiastica, & sacra vasa nullis unquam profanis usibus applicentur, sub pœna majoris excommunicationis, & sacrilegii: si quæ autem temporum injuria profanata sint, iterum benedicantur.

Canon V. Instituantur, ubi non sunt, Sacristæ, sive custodes in qualibet Ecclesia, qui curam ornamentorum, & rerum Sacrarum habeant: etsi quæ vestiaria, aut Sacristiæ profanis usibus cesserint, seu bellorum injuria, seu Ecclesiasticorum incuria, mudentur, & in pristinum statum restituantur.

§. XCVI.

Titulus XVI. De cæmeteriis & mortuorum cura.

Titulus decimus sextus loquitur de cæmeteriis, cura mortuorum, ut de Purgatorio, ubi ex viginti, & uno Canonibus primus ita habet: Curent Episcopi omnes hujus provinciæ, ut commemoratio animarum pro iis præsertim instituta, quæ singulares apud Deum intercessores non habent, pie celebretur a populo, nullisque profanis operibus solvatur.

Canon